
~~Danieles Joanes Loffa~~

ACTUS VIRTUTUM & ORATIONES Ad DEUM DEIq; Parentem.

POSNANIÆ
Typis Collegij Societ JESU.
Anno Domini 1699.

Pro Novitijs Domus Probationis S J ad Sanctum Mathiam.



PERILLVSTRI
MAGNIFICO ac GENEROSO DNO:
DOMINO.

SAMUELI WIGŁOSZ, KIERSKI,

ILLVSTRISSIMI
CHRISTIANI
In Kiekrz
CASTELLANI ROGOZINENSIS,
MAGNÆ SPEI
FILIO.

COram magno Indolis Tuæ ſplendore, ne libri quidem, niſi Virtutum Actus induerent, ſiſtere audebant, palloremq; paginarum, in Tui reverentiam, ſanctiùs ſumpſerant, ne quâ, vel fronte ſui, in Te peccarent. Perillustris Magnifice Domine. Tantum de Te, vel voluminum Iudicium, tantum vel Virtutum ipſarum, ad

Te, ſe devolventium, Tui deſiderium. Occurrunt, progreſſibus juvenilium annorum Tuorum, ea integritatis decora, quæ alios nonniſi ſequuntur: ſatis cæteris, ſpem Virtutis nutrire in primo ætatis flore, imo in candidiore hoc, annorũ vere denigrare; Tua jam, eâ maturitate, ita in fertiliſsimos fructus, teneriora abierunt tempora, ut vel Tu, argumentum porrigas, in Veſtris Illuſtriſsimæ Domûs *liminibus, ignorari Virtutis cunas, infantiam probitatis abeſſe, ſed totam ſimul, etiàm primo in exortu adoleſcere: Cumq; alij vix poſſint agere, in Veſtris Manibus, robuſtarum* Actus Virtutum *tam feliciter emineant, quàm avidiſſimè in cæteris deſiderare tantùm, exſpectareq; non raró, actum agentibus oculis, vel voto feſſi, vel*

pro-

promiſſo fruſtrati poteramus. Novit, nuper ſub prælo natus liber, Tuam depingere Virtutem, hoc eſt, tam promptum Tibi eſſe, optima quæq; mereri, quam ſub prælo deſudantem literarum apparatum, abſq; diuturna creſcendi exſpectatione, in lucem, ſeu, in ſui potientium commoda matureſcere: Ita ætatis Tuæ auroram prodis, ut integritatis meridiē exhibeas. Quid enim, tot commendatiſſimæ Tui Ingenij literæ? Quid Parthenium, Mariano in Regno, à Te nuper conſcenſum ſolium? Quid quotidiana Innocentiæ Tuæ argumenta? non ad Domûs Tuæ Illuſtriſsimæ pretium? non ad ſublimiſsimos pietatis Actus non efformarent? Miramur Illmi Parentis *Tui, in Comitiorum ſubſelliis, eloquentiam: parū illi eſt Senatum Patriæ decorare*

conſi-

consiliis, nisi etiam ipsi Ecclesiæ bono Christianissimum *se præstet, pro quo, toties sanctiori exardet zelo. Ibit jam, imò ad Posterorum Gloriam Gentilitius Vester* AC-CIPITER *perniciùs evolabit, tum per Atticarum repagula noctium, tum per, luci donatos libros, Actusq; Christianarum, id est,* Vestræ Domui *innatarum Virtutum tam facile eluctabitur, quam difficilê credent posterorum ingenia, una in Domo tot gloriæ Virtutumq; apices cum avito* JASTRZEBIEC *consedisse, tam ad Patriæ ornamẽta quam ad aliorum extra Patriam exempla.* Damus *igitur Christianæ perfectionis apparatum, in Te plura lecturi: tot Patriæ Patriq;* Tuo Illmo *solatia de Te apprecati, quot literis, Virtutes, ad Te, hoc in libro loquentur.*

ACTVS

Virtutum, & Orationes ad Deum Deique Parentem.

ACTVS FIDEI

PRima & infallibilis Veritas Deus meus qui nec falli, nec fallere potes, captivo intellectum meum in obsequium fidei, & credo propter tuam solam veracitatem, omnia & sin-

gula quæ in Ecclesia Catholica revelasti. Credo-quod sis, & quod remunerator sis, credo omnia quæ revelasti de tua Vnitate, de Trinitate, de Incarnatione V E R B I Divini, de Sacramentis, de Ecclesia, ejusdem capite, de cultu Sanctorum, de merito bonorum Operum, de Purgatorio &c. Protestor coram te quod inhac pro hac, & ex hac fide, vivere, operári, & mori volo. Imo propter-

hanc fidem defendendam- confirmandam, dilatandam, volo omnium Martyrum pati tormenta, carceres, gladios, rotás ignes, cruces, equuleos. omnia iſta ſuper me veniant, tantum ut te Deo meo fruar.

Itaque omnia perfidiæ monſtra Atheiſmum, Paganiſmum, Iudaiſmum Arrianiſmum, Lutheraniſmum, Calviniſmum, & omnes hæreſes ab Eccleſia damnatas, ego pa-

riter damno, execror, & anathematizo.

Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, Domine adauge nobis fidem. Da fidem vivam, quæ per dilectionem operatur.

ACTVS SPEI

DEUS meus, Misericordia mea, spes mea ab uberibus matris meæ in te omnis Spes mea, spero in te, & à te Te ipsum. Spero per te & per merita

ta IESU Chriſti Domini Noſtri Veniam, gratiam, gloriam, & omnia bona temporalia, & æterna Spero quia bonus es nobis, quia es Omnipotens, quia fidelis es in promiſſis. Spero in te quia major eſt bonitas tua quàm malitia mea, quia miſericordia tua ſuperexaltat judicium.

Spero quia ſi filium tuum Unigenitum nobis donaſti, quomodo non omnia nobis cum eo donabis?

nabis? Non timebo mala. quoniam me cum es Dominus firmamentum meum? & refugium meum, & liberator. meus O Domine in te confido non erubeſcam.

ACTVS TIMORIS DEI

DEVS ultionum, Deus terribilis ſuper omnes Deos, quis non timeat te; cum columnæ cæli contremiſcunt & pavent ad nutum tuum-

Timeo

Timeo igitur te DEVS meus, imprimis timore reverentiáli, admirando ſupra exiſtentem. & agnoſcendo ſubjectionem meam, ſecundum infinitam a te diſtantiam, recedo & reſilio in abyſſum nihili mei. timeo etiam te timore Pænali. Timeo te timore ſervili, ut ſervus Dominum, & reus judicem, ne crucier in gehenna. Timeo Te timore Mercenarij, ut operarius remuneratorem-

ne excludar à gloria. Sed potiſsimum timeo te timore filiali, ut filius patrem, ne deſerar à gratia. Domine dum veneris judicare, noli me condemnare, ne projicias me á facie tua. & Spiritum Sanctum tuum ne auferás à me. Ne permittas me ſeparari à te. Confige timore carnes meas, ut a judicijs tuis timeam utque cum timore & tremore operer ſalutem meam.

Actus

ACTVS AMORIS DEI.

DEus meus & omnia summum ac infinitum bonum, amo te toto me, & tota mea potentia amativa, ſine ulla diviſione cordis mei in creaturas, quia es ſummum bonum continens modo optimo omnem poſsibilem bonitatem, & in quamcunque poteſt ferri amor meus. Amo te ſupra omnes divitias, & honores, ſupra omnem ſapi-

entiam & excellentiam creatam, ſupra dignitatem, ſupra vitam, & me ipſum. quia es ſummum bonum ſupra omne bonum.

Amo te ferventiſſsimé, intenſisſime, inſatiabiliſſime, & ut dicebat ille amator tuus, Seraphice, Mariane, Theandrice, omnitudinaliter, omnipoſſibiliter. Et ido aſſumo mihique unio corda amore tuo ardentia omnium Sanctorum hominum & Angelorum, omniumque

umque

umque creaturarum rationalium, possibilum adeoque cor ipsius Virginis Deiparæ, & Cor humanitatis Christi, hisque omnibus te ignitissime amo. Amo te sine mensura, sine fine, quia es bonum infinitum & immensum, Imo si possibile esset, Vellem te amare infinitè. Diuinè, quantum dignus es, quántum amabilis es, sed quia hoc facere non possum suppleo id de tuis bonis, tuumque

amo-

amorem divinum qui ſolus eſt æqualis amabilitati tuæ, tibi offero, ac peto, ut Tu tuo amore ames te, ſupplendo exilem amorem meum erga te.

Ex amore Tui deſidero etiam cum diſpendio omnium bonorum & vitæ meæ ut agnoſcaris, ameris, adoreris, ab omnibus creaturis rationalibus, in omnibus, ſuper omnia. Deſidero item ardentiſſime ô pulchritudo infinita te videre, te frui.

frui per totam æternitatem, idque non ideo, quia hoc mihi bonum eſt, ſed quia tibi magis placet, & ut te magis agnoſcam, amem & glorificem. O quando veniam & apparebo ante fáciem tuam. Cupio diſſolvi & eſſe te cum. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me exſpectant juſti, donec retribuas mihi.

Interim propter amorem tui, nolo tibi unquam

dare occaſionem diſplicentiæ ullo peccato, etiam veniali. Volo de te ſæpe cogitare, ſæpe loqui, Volo frequenter ád te aſpirare, Volo in virtutibus & amore tui ſemper creſcere. Volo pro gloriria tua propter te multa difficilia agere & pati, ad dandum guſtum dulcisſimo Cordi tuo.

O Deus meus imple amore tuo totam capacitatem cordis mei Da quod iubes. Diligam te Domine-

ne fortitudo mea, amplius & amplius Amorem. tuum ſolum mihi dones, & dives ſum ſatis. dives ſum ſatiſ.

ACTVS CHARI tatis prximi pro. pter DEVM.

DEEVS pacis & dilectionis, propter te amo, ſicut me ipſum & amplector in viſceribus IESV Chriſti omnes proximos meos; idque ideo, quia in ijs relucet imago tua.

tua; quia omnes redempti ſunt pretioſo ſanguine Filij DEI. Quia hæc eſt voluntas tua ut omnes ſimus unum, ſicut tu unus es in Trinitate. Quia hoc eſt mandatum novum Redemptoris mei ut diligamus invicem. Specialiter amo propter te, ſicut me ipſum omnes fideles, quia ſumus unum corpus ſub uno capite IESV Chriſti, quia ſumus Cives Sanctorum & domeſtici Dei, quia de uno pane cæleſti.

par-

participipamus ? quia ut, ſpero nos mutuò in cœlo amabimus æternum. Amo etiam propter te, ſicut me ipſum, omnes inimicos meos, iiſq; ex corde condono omnes meas offenſas, ut tu Domine dimittas omnia peccata mea. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, quod me aliquando offenderint vel contriſtaverint. Ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.

ACTVS ADORAtionis & laudis Dei.

MAgne DEVS, Rex Regum, & Dominus dominantium, ego vilissima creatura tua; procedens ex abisso vilitatis meæ, tanquam de palude sua ranuncula, audeo comparere ante Majestatem tuam eidemque obstrepere, Fretus ergo bonitate tua prosterno me in centrum nihili mei coram tė, & recognosco te Deum ac Dominum

minum meum, primum principium & ultimum finem meum. Teq; toto me, affectu tibi gratissimo mihi possibili, imò affectu beatifico, Seraphico, Mariano ,Theandrico, affectu quò dignus es, supra omnia adoro, laudo, glorifico, benedico, magnifico, exalto, & omnes & singulas tuas perfectiones Divinas.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS exercituum plena est o-

mnis terra gloria ejus. Benedictio, claritas, & honor DEO nostro in sæcula sæculorum.

Exaltare super cœlos DEVS, & super omnem terram gloria tua. Lauderis, glorificeris, ab omnibus, super omnia in æternum.

ACTVS GRATItudinis.

PAter Misericordiarum & DEVS totius consolationis: quam beneficus

cus es Vniversis, & misera-
tiones tuæ, super omnia
opera tua, idcirco, ma-
gnificat te anima mea
quia fecisti mihi & o-
mnibus creaturis magna
qui potens es, & Sanctum
Nomen tuum. Sis ergo
benedictus ab omnibus
creaturis, in omnibus, su-
per omnia, pro omnibus
& singulis donis naturæ,
gratiæ, & gloriæ collatis in
tempore, & in æternitate
conferendis, Sanctissimæ
Matri ejusdem, omnibus

& ſingulis Angelis. & hominibus, comprehenſoribus et viatoribus, prædeſtinatis et reprobis, juſtis et peccatoribus , ingratis, infidelibus, damnatis imo etiam pro beneficiis omnium creaturarum irrationalium, quæ unquam fuerunt, ſunt, et erunt, Pro omnibus iſtis creaturis tuam beneficentiam & liberalitatem benedico, tibique gratias ago toties, quot beneficia illis & mihi con

tuliſti,

tulisti, & quot conferre per totam æternitatem decrevisti.

Sis benedictus in æternum pro omnibus et singulis gratiis naturalibus et supernaturalibus, internis et externis, habitualibus et actualibus, universalibus & particularibus.

Sis benedictus pro beneficio creationis, conseruationis, cooperationis, exhibito et exhibendo omnibus et singulis creaturis.

Sis benedictus pro Incarnatione VERBI Divini. pro Vita, Passione, & morte IESV Christi, pro doctrina ejus, consiliis, præceptis, exemplis, miraculis, pro redemptione & usu Sacramentorum, pro fundatione Ecclesiæ Religionum.

Sis benedictus pro infusione gratiæ Sanctificantis, omniumque Virtutum supernaturalium pro illustrationibus, & inspirationibus excitantibus.

tibus, & adjuvantibus, operantibus, & cooperantibus, prævenientibus, concomitantibus, ac ſubſequentibus. pro concurſu ad actus ſalutares: pro gratia externa protectionis, pro omnibus miraculis prophetijs & pro omnibus et ſingulis gratiis, ſiue gratis cuicunque datis, ſiue gratum facientibus.

Sis benedictus pro prædeſtinatione, Vocatione Iuſtificatione, glorificatione

tione omnium electorum.

Sis benedictus pro gloria nominis tui, propagatá in cœlo & in terra.

Sis benedictus pro omnibus afflictionibus, persecutionibus, doloribus, quæ ad castiganda mea peccata ut justus judex simulque misericors pater permisisti, aut permittere decrevisti.

Ac denique sis benedictus pro omnibus tuis decretis circa meam vitam,

& mortem, & æternitatem. Pro his et ſingulis beneficiis, confiteantur tibi Domine omnia opera tua, et Sancti tui benedicant Tibi, Benedic anima mea Domino, et noli obliviſci omnes retributiones ejus Qui coronat te, in miſericordia & miſerationibus et replet in bonis deſiderium tuum. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.

Sit Nomen Domini benedictum:

nedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

ACTUS.

Conformitatis cum Divina Voluntat[e] seu Resignationis.

ADoranda Sapientis-sima, omnipotentis-sima beneficientissim[a] DEI Voluntas, subjici[o] me tibi totum, mancipo[-]que in æternum, & ample[-]ctor omnes tuas, de me, re[-]busque meis, æternas or[-]dinationes, idque ideo quia sum tuus essentiali[-]ter servus, quia nullus t[i-]bi.

tibi resistere potest. quia omnia de nobis sapientissime disponis, quia nihil odisti eorum quæ fecisti, & omnia ex amore Paterno, erga nos decernis. itaque exuo me propria voluntate cæca, & non nisi quod noxium est appetente, ut tuâ Divinâ regar Sapientiâ, ut cor habeam, secundùm cor tuum, ut tua vivam voluntate. Hoc tantum volo quod tu vis, hoc nolo, quod non vis In omnibus non mea,

sed

ſed tua voluntas fiat. Fiat, ita ò pater ſicut placitum fuit, ante te ab æterno. Dominus es, fac quod bonum eſt in oculis tuis. Vis me divitem aut pauperem: honoratum aut contemptum, celebrem aut infamem, paratum cor meum Deus. Vis me ſanum aut ægrum, lætum aut mærentem, paratum cor meum Deus. Vis me diutius vivere aut cito mori: parum aut multum

invir.

in virtutibus proficere, parvam aut magnam gloriam in cœlo consequi, paratum cor meum Deus. Ecce ego servus tuus, fiat mihi secundùm verbum, secundùm decretum tuum.

Resigno me adorandæ tuæ voluntati ad inopiam, ad infamiam, ad contemptus, ad extremos dolores, ad mortem, imò usq; ad cōdemnationem æternam, usq; ad mei annihilationem. Volo habere id quod habeo, quia habeo quod volo.

quia

quia id volo quod tu vi
in omni euentu ſive pro
ſpero ſive adverſo, in ſo
latio & áfflictione, in vit
& morte, benedicam Do
minum in omni tempor
ſemper laus ejus in or
meo, quia ſemper dignu
eſt, qui ſemper pater eſt
Dominus dat, Dominu
aufert, ſit nomen Domi
ni benedictum.

ACTUS SUB-jectionis.

O Domine ego ſervu
tuus, & filius Ancil

Ancilllæ tuæ. nonne igitur Tibi ſubiecta erit anima mea. En ex nunc. pro ſemper, ſubiicio eam. altiſſimæ jurisdictioni Tuæ ſuperne legislator. Ac inprimis diſpoſitionem voluntatis meæ rerumq; omnium ad me ſpectantium, plane committo voluntati tuæ. Approbo omnia decreta tua, & ordinationes æternas de me rebuſque omnibus meis quantumvis ſenſui meo repugnantes.

Volo integré, promptè, hilariter, obedire tuis præceptis, Tuis consiliis, Tuis inspirationibus. Volo etiam obedire propter te superioribus meis in omnibus, ubi peccatum non apparet, integré, prompté, ad nutum, obedientiâ cæcâ: idque propterea quia omnis eorum potestas est a Te, quia in iis Te agnosco, quia volo imitari Christum, pro me obedientem usque ad mortem Crucis.

Do-

Doleo quod hactenus Tibi inobediens fuerim quod jugum tuum confregerim, dixerimque Non serviam. Pro omni mea inobedientia compensanda, offero Tibi omnes obedientiæ actus Christi Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum qui hac virtute floruerunt.

Domine da quod jubes, & jube quod vis, doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es.

ACTUS HUmilitatis,

DEUS qui humilia respicis, & alta á longé cognoscis, qui superbis resistis, & humilibus das gratiam, Ego pulvis & cinis, cum magna confusione mea, agnosco & confiteor coram te inutilitatem meam. Agnosco quod ex me nihil sum, nihil habeo, nihil boni facio. Agnosco in meo intellectu cæcitatem, in voluntate malitiam, per-

pertinaciam, inconſtantiam, in appetitu ſenſitivo inclinationem ad malum, difficultatem ad bonum ; in corpore continuam mutabilitatem, mortalitatem, totque alias indigentias & miſerias. Sed longe magis confiteor coram Te peccata mea, quibus tam longe à te receſſi in regionem diſſimilitudinis ut merito vocari debeam. non modò peccator, ſed ipſum peccatum.

Præterea opto, in quantum id ſine peccato fieri poſſet, ab omnibus negligi, contemni, male judicari, odio haberi, diffamari & omnes contemptus, odia, judicia; detractiones volo hilariter pati, idque ideo, quia his omnibus dignus ſum, quia volo imitari Chriſtum Dominum meum pro me contemptum, irriſum Conculcatum, Conſputum, male judicatum, diffamatum, opprobriis

ſatiatum quia volo obedire eidem Domino meo humilitatem præcipienti Denique nolo mihi in ullis meis factis talentis complacere & oſculari manum meam: nolo gratiam apud homines & honorem quærere, cum mihi ſufficit apud Te laus mea, honor & gloria æterna DEUS meus. Quod vero aliquando me contra Te erexerim, quod gloriam tuam furatus fuerim, doleo ſuper

omnia: & pro omni mea ſuperbia, in ejus com pen-ſationem offero Tibi omnes actus humilitatis Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum humilitate inſignium.

Domine non veniat mihi pes ſuperbiæ: non ambulem in magnis & mirabilibus ſuper me; ut promiſſa humilibus præmia feliciter conſequar.

ACTVS POENITENTIÆ.

BEnigniſſime DEVS, qui non vis mortem peccatoris, ſed magis ut covertatur & vivat: Ego indigniſsimus peccator, venio ad te cum filio prodigo, ex regione longinqua diſsimilitudinis, accedo cū fiducia ad thronum gratiæ tuæ, fretus pietate tua, ac miſericordia infinita, confiteor tibi adverſum me iniuſtitiam meam. Pater peccavi coram te. non ſum dignus vocari filius tuus.

Tibi ſoli peccavi & malum coram Te feci, Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave, gavatæ ſunt ſuper me. peccavi ſuper numerum arenæ maris & non ſum dignus videre altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatis meæ, quoniam irritavi iram tuam

Ideo confundor & erubeſco coram Te Domine DEUS meus, & cum Publicano non audeo oculos

culos in cælum attollere quia tot peccatis animam meam contaminavi, meque exosum oculis tuis reddidi, quia gratiâ & donis ejus spoliatus sum pauper, nudus, cæcus, miser, & miserabilis: quia ex filio tuo, diaboli mancipium effectus sum, quia dissipavi substantiam tuam, quia sum reus mortis æternæ.

O.Bonum omni amore dignissimum, retracto, damno, detestor omnia

mnia peccata mea, ac de illis doleo ſuper omnia. Doleo ex motivo Spei quam amiſi promiſſam mihi beatitudinem, ejuſque privationem merui. Doleo ex motivo Religionis: quia peccata mea ſunt irreverentia & contemptus Majeſtatis Tuæ, ubique præſentis, & omnia videntis. Doleo ex motivo Iuſtitiæ, quia Tuum jus proprietatis læſi. Doleo ex motivo Obedientiæ, quia Tuis præce-

ptis

ptis inobediens fui. Doleo ex motivo gratitudinis: quia peccatá mea ſunt ingratitudo pro tot beneficjis Tuis. Doleo ex motivo Pœnitentiæ, quia honeſtum dolendo abolere peccata. Doleo ex motivo omnium virtutum, quia peccata mea ſunt diſſonantia rectæ rationi, & oppoſita Virtutibus. Sed potiſſimum doleo ex motivo charitatis: quia peccata mea sunt offenſa bonitatis tuæ infini-

finitæ, tibique displicent summo ac puro bono, quod super omnia diligo.

Ah utinam Te Summum bonum meum nunquam offendissem. Væ tempori illi, quo Te offendi. Ergo nunc sit finis turpitudinis meæ. Dixi nunc cœpi. Statuo firmiter cum gratia tua custodire judicia justitiæ tuæ, Malo mori quám fœdari.

Te misericordiarum Deus, procidens coram Te

Te ſupplex deprecor, & per bonitatem cordis tui oro: miſerere mei, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Averte oculos tuos á peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.

AFFECTVS

Ad B. Virginem.

Affectus Adorationis & Salutationis.

AVguſtiſſima Cœli terræque princeps,

DEI MATER MARIA, ad Tuos pedes provolutus, ſaluto & adoro Te, omni illa adoratione hyperduliæ, cujus capax es: illâ reverentiâ, qua te ſalutavit Archangelus Gabriel & Sancta Eliſabeth, illo cultu, quo Te colunt Sancti Angeli. & homines Viatores & comprehenſores, illo honore quo Te honoravit in terris tuus Tibi ſubditus, & quo Te nunc honorat in cœlo: idq; facio propte-

mi

maximam post DEUM excellentiam sanctitatis & beatitudinis tuæ, propter admirabilem Maternitatem tuam, propter altissimum Dominium Tuum in Creaturas.

Adoro & saluto Te tãquam quartam in mundo Personam Vni secundam Deo; tanquam primum objectum creatum Divini amoris; tanquam Matrem in Carne Filij Tui Deificam, Deo Ho-

mini imperantem, tanquam causam de congruo meritoriam omnis gratiæ & gloriæ puris hominibus collatæ tanquam totius universi Imperatricem.

Saluto & adoro Animam Tuam gratiâ plenam; Tuum intellectum, tuam scientiam, in instanti cōceptionis infusam, quàm Lumine gloriæ & Visione DEI illuminatissimam: Tuam voluntatem impeccabilem, omnibus

habi

habitibus & actibus virtutum ab ipſa conceptione Tua ornatiſſimam.

Saluto & adoro Tuum Corpus Sacratiſſimum, DEO Homini in primo gradu conſanguineum: Tuum cor ſemper immaculatum, ſemper amore Dei ardentiſſimum: Tua beata ubera, quibus Filium Dei lactaſti, Tuas manus, quibus eum portaſti & amplexa es: Tuos pedes, quibus eum comitabaris: Tuum os, quo ipſi

ipsi oscula imprimebas: Tuam linguam: quâ cum illo dulces sermones misceebas: Tuos oculos, quibus illum amanter inspiciebas.

AFFECTVS
Laudis & glorificationis.

GLoriosissima DEI MATER, laudo, & glorifico Te omni laude, quâ digna es, qua Te beatam dicunt omnes sive in cælo, sive in terra generationes. Laudo & glo-

glorifico Tuam admirabilem Maternitatem Tuam Immaculatā Conceptionem: Tuam puritatem, quâ major sub Deo nequit intelligi: Tuam Corporis pulchritudinem. Tuam Scientiam ab inſtanti Conceptionis infuſam, & Viſionem beatam. Tuam gratiæ & gloriæ ac Virtutum excellentiam supra omnium creaturarum gratiam, gloriam, ac virtutes; Tuum ſupra omnes

mnes creaturas dominium.

Vellem si possem, omnes laudes in Te congerere, quas totius Orbis incolæ, Tibi unquam, sive scriptis, sive voce tribuerunt, tribunt, & tribuent: adeoque, quas ipse Tres Personæ Divinæ Tibi tribuent tota æternitate.

Hoc ardentissimé desidero, ut ab omnibus Creaturis rationalibus summè post Deum lauderis &glo-

& glorificeris, in æternũ: atque pro defensione & dilatatione gloriæ tuæ sanguinem fundere, & mortē oppetere paratus sum.

AFFECTUS
Amoris, & Appretiationis.

PRetiosissima, admirabilis, amabilissima Mater pulchræ dilectionis, amo te summé post Deum, totis medullis cordis, totis præcordiorum affectibus, amo Te amore mihi possibili, Ti-

bi gratiſſimo, amore illo quo digna es: idque propter ſummam poſt Deum bonitatem, pulchritudinem, humilitatem Tuam, tam naturalem quàm ſupernaturalem: quia es optimum purum creatum, id eſt, Summū bonum poſt Chriſtum: quia es primum objectū creatum amoris Divini.

Appretio, Te & æſtimo plus, quam amicos & cognatos meos, plùs quam honores, Opes, vitam, ſanita-

nitatem, mundum universum: ampliùs quám res omnes, ſive in terra creatas: plùs quàm Sanctos homines, & Angelos vniverſos: idq́; ideo, quia Tibi uni plus ſe communicavit Divina bonitas; quàm omnibus creaturis ſimul ſumptis.

Deſidero amare Te, ſi fieri poſſet, amore illo, quo Te amant & amabunt in æternum omnes Electi; illo amore, quo amat Humanitas aſſumpta-

pta Filij Tui: illo amore, quo te amat SSS. TRINITAS. Si mille, si infinita corda háberem, illis te amarem. Benedictum Cor Filij tui, quod defectus meos supplet amando te infinitè: hoc tibi cor dono & offero, ejusdemque affectu te diligo.

Utinam Te orbis universus agnoscat, colat, amet quantum capax es. Volo id procurare etiam cum dispendio vitæ meæ, & omnium bonorum

tem-

temporalium. Proteſtor coram te ô Virgo incomparabilis, quod paratus ſim potius gehennam ſubire, quám minimam jacturam gloriæ tuæ pati.

AFFECTVS Oblationis.

DIgniſſima Dei Mater, non ſum dignus vocari filius tuus, fac me obſecro unum ex mancipijs tuis. En corpus & animam meam, ſpes & omnes res meas; Tibi devo-

voveo & mancipo in æternum ut tibi vivam, moriar tibi, æternùm tuus. Offero me tibi ad patiendum quidvis pro defensione & augmento gloriæ tuæ, omnes labores superandos, & ipsã mortem.

AFFECTVS
Fiduciæ.

MAter Sanctæ Spei in te omnis spes vitæ & Virtutis, tu es maxima post Deum mea fiducia & to-

& tota ratio ſpei meæ. Spero igitur per merita tua, & interceſſionem omnia bona temporalia & æterna. Spero remiſſionem peccatorum, gratiam & vitam æternam, idque ideo, quia es Advocata noſtra potentiſſima, quæ plus potes ſola, quám omnes Sancti ſimul: quia es Mater miſericordiæ, quia es Theſauraria gratiæ liberaliſſima. In te dulcis MARIA ſperamus, nos defendas in æternū

AFFE-

AFFECTUS
Petitionis.

MAter misericordiæ, in nomine Iesu Filij Tui per bonitatem cordis Tui, te oro suppliciter, monstra te esse Matrem in omnibus meis necessitatibus spiritualibus & corporalibus, Mater DEI memento mei, & impetra mihi apud Tuum dilectum Filium veniam peccatorum, gratiam efficacem ad vincendas tentationes, horrorem

rorem peccati mortalis, imitationem tuarum Virtutum, præsertim Castitatis; finalem perseverantiam in gratia, & mortem felicem: O MARIA sis mihi propitia, in vita, morte mea, & æternitate.

ORATIO
Ad Christum Passum.

DEVS, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda tra-

traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, á falsis testibus accusári, flagellis, & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari felle, & aceto potari, & lan-
ceâ

ceâ vulnerari. Tu Domine, per has Sanctissimas pænas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem & mortem tuam, libera me á pænis inferni, & perducere me digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ALIA ORATIO.

DOmine IESU Christe, in cujus ditione cun-

cuncta ſunt poſita, & no
eſt, qui poſſit reſiſtere vo
luntati tuæ, qui dignatu
es naſci, mori, & reſur
gere, per myſterium ſa
cratiſſimi corporis tui, &
per quinque vulnera &
effuſionem pretioſiſſimi
ſanguinis tui miſerere
nobis, ſicut tu ſcis neceſ
ſarium eſſe animabus, &
corporibus noſtris, libe
ra nos á diaboli tentatio
ne, & ab omnibus, qui
bus nos anguſtiatos eſſe
cognoſcis, noſque in ſer
vitio

vitio tuo usque in finem conserva, atque corrobora, & veram emendationem, spatiumque veræ pœnitentiæ nobis tribue, & remissionem omnium peccatorum post obitum: & fac nos fratres, sorores, amicos, & inimicos invicem diligere, & cum omnibus sanctis in regno tuo sine fine gaudere, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas Deus per omnia sæcula

sæculorum. Amen.

ORATIO
Ad Vulnera Christi.

ROgo te Domine IESU, per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in cruce pro salute nostra, è quibus emanavit ille pretiosus sangvis, quo sumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo, & potentissimo telo tuæ nimiæ cha-

charitatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: charitate tua vulnerata ſum, ita, ut ex ipſo vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die, ac nocte. Percute Domine, percute, obſecro, hanc duriſſimam mentem meam, piâ & validâ cuſpide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad Christum Morientem.

O Domine IESV Christe, adoro te in Cruce pendentem, coronam spineam in capite portantem: deprecor te, ut me tua Crux liberet ab Angelo percutiente, Amen. Pater noster. Ave Maria.

O Domine IESV Christe, adoro te in Cruce vulneratum, felle, & aceto potatum: deprecor te, ut vulnera tua sint remedium animæ meæ Amen. Pater noster, Ave Maria.

O Do-

O Domine IESV Christe, propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando nobilissima anima egressa est de benedicto corpore tuo, deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

Pater noster. Aue Maria.

O Domine IESU Christe, adoro te descendentem ad inferos, et liberan-

rantem captivos: deprecor te, ne permittas me illuc introire. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

O Domine IESU Christe, adoro te resurgentem a mortuis, ascendentem ad cœlos, sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi, & tibi præsentari merear. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

O Domine IESU Christe, Pastor bone, justos conserva, peccatores ju-

ſtifica, & omnibus fidelibus miſerere, & propitius eſto mihi peccatori. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O Domine IESV Chriſte, adoro te in ſepulchro poſitum, myrrha & aromatibus conditum: deprecor te, ut tua mors ſit vita mea. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

Ad omnia membra Chriſti.

SAlve tremendum cunctis poteſtatibus caput Domini IESV Chriſti, Salvato-

vatoris noſtri, pro nobis ſpinis coronatum, & arundine percuſſum. Salve pretioſiſsima Salvatoris noſtri IESV Chriſti facies, pro nobis ſputis & alapis cæſa. Salvete benigniſſimi Domini IESV Chriſti Salvatoris noſtri oculi, pro nobis lachrymis perfuſi. Salve mellifluum os, gutturque ſvaviſſimum Domini noſtri IESV Chriſti, pro nobis felle, & aceto potatum. Salvete aures nobiliſſimæ Domini

mini IESV Christi, Salvatoris nostri, pro nobis contumelijs, & opprobriis, affectæ. Salve collum humile IESV Christi, pro nobis colaphizatum., dorsumque sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles Domini nostri IESV Christi manus, & brachia pro nobis in cruce extensa. Salve pectus mitissimum Domini IESV Christi, Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum.

Sal-

Salue latus gloriosum Domini noſtri IESV Chriſti, pro nobis lancea militis perforatum. Salvete Domini noſtri IESV Chriſti Salvatoris noſtri ſacra miſericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini IESV Chriſti ſalvatoris noſtri pedes adorandi, pro nobi clavis affixi. Salve totum corpus IESV Chriſti, pro nobis in cruce ſuſpenſum, vulneratum, mortuum & ſepultum. Salve

ſan-

ſangvis pretioſiſſime de corpore Domini IESV Chriſti, Salvatoris noſtri, pro nobiſ effuſe. Salve ſanctiſſima Domini noſtri IESV Chriſti anima, in cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo hodie, & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes ſenſus & actus meos, omnes amicos, benefactores, filios, & conſangvineos meos,

os, animas parētum, fratrum, ſororum, & omnium amicorum, ac inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus inſidijs inimicorum noſtrorum viſibilium, nunc, & in perpetuum. Amen.

ORATIO

Ad B. Virginem Mariam.

OBſecro te Domina Sancta Maria, Mater Dei pietate pleniſſima,

ma, ſummi Regis filia, Mater glorioſiſſima. Mater orphanorum, conſolatio deſolatorum, via errantium,, ſalus omnium in te ſperantium, Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo poſt partum, fons miſericordiæ, fons ſalutis & gratiæ, fons conſolationis, & indulgentiæ, fons pietatis & lætitiæ, fons, vitæ, & veniæ, per illam ſanctam ineffabilem lætitiam, quâ exultavit ſpiritus tuus in illa

hora,

hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelum anuntiatus, & conceptus Filius Dei fuit: atque per illam ſanctam & ineffabilem humilitatem, in qua tu reſpondiſti Archangelo Gabrieli: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et per illud Divinum myſterium, quod tunc operatus eſt in te Spiritus ſanctus: Et per illam ineffabilem gratiam, pietatem, miſericordiam, amorem

rem, & humilitatem, per quas filius tuus, Dominus noſter IESVS Chriſtus deſcendit accipere humanam carnem in venerabiliſſimo utero tuo. Et per glorioſiſſima quidecim gaudia quæ habuiſti de Filio tuo, Domino noſtro IESV Chriſto: Ft per illam ſanctam & maximam compaſſionem, & acerbiſſimum cordis dolorem, quem habuiſti, quando filium tuum. Dominum noſtrum

IESVM Christum ante crucem nudatum, & in ipsa levatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, sitientem, amarissimum potum, fel, & acetum ori ejus apponi, vidisti, Eli clamantem audîsti, & morientem vidisti: Et per quinque vulnera ejusdem filij tui: & per contractionem viscerum tuorum, præ nimio dolore vulnerum suorum: & per dolorem, quem habuisti, quando vidisti eum vul-

vulnerari: & per fontes ſanguinis ſui: & per omnem paſſionem ejus, & dolorem cordis tui: & per fontes lacrymarum tuarum: ut cum omnibus ſanctis, & electis Dei venias, & feſtines in auxilium, & conſilium meum, in omnibus orationibus, & petitionibus meis, in omnibus anguſtijs, & neceſſitatibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus ego ſum aliquid facturus, locutu-

rus, aut cogitaturus omnibus diebus, ac noctibus, horis, atque momentis vitæ meæ Et mihi famulo tuo N. impetres á dilecto filio. tuo Domino nostro IESV Christo virtutum omnium complementum, cum omni misericordia, & consolatione, omni consilio, & adjutorio, omni benedictione, & sanctificatione, omni salutatione, pace, & prosperitate, omni gaudio & alacritate, etiam

am abundantiam omnium bonorum ſpiritualium, & corporalium, & gratiam Sancti Spiritus, qui me bene per omnia diſponat: animam meam cuſtodiat: corpus meum regat, & protegat: mentem erigat: mores componát, actus probet, cogitationes ſanctas inſtituat, præterita màla indulgeát, præſentia emendet, & futura moderetur: vitam honeſtam, & caſtam mihi tribuat, fidem,

ſpem, & charitatem mihi præſtet, articulos fidei firmiter credere, & præcepta legis obſervare, me faciat, ſenſus corporis mei regat & protegat, & à peccatis mortalibus me ſemper liberet, & defendat uſque in finem meum: hanc orationem ſuppliciter exaudiat, & ſuſcipiat, & vitam æternam mihi tribuat. Audi, & intercede pro me, dulciſsima Virgo Maria, Mater Dei, & miſericordiæ. A.

Planctus Beatæ Mariæ VIRGINIS.

STábat Mater doloroſa;
Juxta crucem lacrymoſa,
Dum pendebat filius,
Cujus animam gementem,
Contriſtantem, & dolentem
Pertranſivit gladius.
O quàm triſtis, & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti.
Quæ mærebát, & dolebat,
Et tremebat, dum videbat
Nati pænas incliti.
Quis eſt homo qui non fleret,
Chriſti Matrem ſi videret
In tanto ſupplicio ?
Quis non poſſet contriſtari,

Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum filio?
Pro peccatis ſuæ gentis
Vidit IESUM in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem natum,
Morientem deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.
Eja Mater, fons amoris,
Me ſentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum,
In amando Chriſtum Deum,
Vt ſibi complaceam.
Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validé.
Tui nati, vulnerati,

Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me verê tecum flere,
Crucifixo condolere
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare,
In planctu deſidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Chriſti mortem,
Paſſionis ejus ſortem,
Et, plagas recolere
Fac me plagis vulnerári,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem filij.
Inflammatus, & accenſus,

Per te Virgo ſim defenſus,
In die judicii.
Fac me cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoveri gratiâ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
paradiſi gloria. Amen.

V. Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſiuit.

R. Vt revelentur ex multis cordibus cogitationes.

ORATIO.

INterveniat pro nobis, quæſumus Domine IESV Chriſte, nunc & in hora mortis noſtræ, apud

tuam

tuam clementiam Beata Virgo Maria Mater tua, cujus ſacratiſſimam animam in hora tuæ paſſionis doloris gladius pertranſivit. per te IESV Chriſte Salvator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcvla ſæculorum A.

Commendatio ad Virginem Mariam.

O Domina mea ſancta Maria me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in

& in ſinum miſericordiæ tuæ hodie, & quotidie et in hora exitus mei, animam meam & corpus meum tibi commendo, omnem ſpem meam, & conſolationem meam, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & diſponantur opera ſecundùm tuam tuiq; filij voluntatem.

ORA-

ORATIO

Ad Christum.

BOne IESV, verbum Patris, ſplendor paternæ gloriæ, in quem deſiderant Angeli proſpicere: doce me facere voluntatem tuam, ut à ſpiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem: ubi eſt dies æternus, & unus omnium ſpiritus, ubi eſt certa ſecuritas, & ſecura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felici-

tas, & felix ſuavitas, & ſuavis jucunditas, ubi tu Deus cum Patre, & Spiritu ſancto vivis, & regnas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

ALIA ORATIO

O Bone IESV, ô piiſſime IESV, ô dulciſſime IESV ô IESV Fili Mariæ Virginis, plene miſericordia & pietate, ô dulcis IESV ſecundùm magnam miſericordiam tuam miſerere mei. O clemen-

mentissime IESV, te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc nomen Sanctum IESV invocantem. O nomen IEsu, nomen dulce, nomen IESV, nomen delectabile: nomen IESV, nomen confortans: quid est enim IESVS, nisi Salvator? Ergo

go IESV propter nomen ſanctum tuum eſto mihi IESVS, & ſalva me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creâſti. O bone IESV, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua O dulcis IESV recognoſce, quod tuum eſt, & abſterge quod alienum eſt. O benigniſſime IESV, miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi: ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in

ſan-

ſanguine meo, dum deſcendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine IESU, neq; omnes, qui deſcendunt in infernum: O amantiſſime IESU, ô deſideratiſſime IESV, admitte me intrare in numerum Electorum tuorum: ô IESV, ſalus in te credentium ô IESV ſolatium ad te confugientium, ô IESV dulcis remiſſio omnium peccatorū: ô IESU Fili MARIÆ Virginis in-

funde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, & humilitatèm: ut poſſim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſervire, & in te gloriari, & omnes, qui invocant nomen tuum, quod eſt IESVS Amen.

ORATIO
Beati Thomæ de Aquino,

COncede mihi miſericors Deus, quæ tibi placita ſunt, ardenter concupiſcere, prudenter inveſti-

veſtigare, veraciter agnoſcere, & pèrfectè adimplere, ad laudem & gloriam Nominis tui. Ordina ſtatum meum, & quod à me requiris, ut faciam, tribùe, ut ſciam, & da exequi, ſicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Domine Deus meus inter proſpera, & adverſa non deficere: ut in illis non extollar, & in iſtis non deprimar: de nullo gaudeam, vel doleam, niſi quod ducat ad

te, vel abducat á te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, niſi tibi. Vileſcant mihi Domine omnia tranſitoria, & cara mihi ſint omnia tua propter te, & tu Deus præter omnia. Tædeat me gaudij, quod eſt ſine te, nec aliquid cupiam, quod eſt extra te: delectet me Domine labor, qui eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ eſt ſine te. Frequenter da mihi Domine cor

ad

ad te dirigere, & in defe-
ctione mea, cum emen-
dationis proposito delen-
do pensare. Fac me Do-
mine Deus obedientem
sine contradictione: pau-
perem sine defectione:
castum sine corruptio-
ne, humilem sine fictio-
ne: & hilarem sine disso-
lutione, tristem sine de-
jectione: maturum sine
gravitate: agilem sine le-
vitate: timẽtem sine de-
speratione, veracem si-
ne duplicitate: operan-
 te bo-

te bona ſine præsumptio-
ne: proximum corrige-
re ſine elatione; ipſum
ædificare verbo & exem-
plo ſine ſimulatione. Da
mihi Domine Deus cor
pervigil ‘quod nulla ab-
ducat á te curioſa cogita-
tio. Da nobile, quod nul-
la deorſum trahat indi-
gna affectio. Da rectum,
quod nulla deorſum ob-
liquet ſiniſtra intentio
Da invictum, quod nul-
la tangat tribulatio. Da
liberum, quod nulla ſibi
ven.

vendicet perversa & violenta affectio. Largire mihi Domine Deus meus intellectum te cognoscentem: diligentiam te quærentem, sapientiam te invenientem: conversationem tibi placentem. perseverantiam te fideliter exspectantem: et fiduciam te finaliter amplectentem: tuis pœnis configi per pænitentiam: tuis beneficijs uti in via per gratiam, & tandem tuis gaudijs & patriâ per-

frui per gloriam. Amen.

ORATIO

In afflictione.

O Dulciſſime Domine IESV Chriſte verus Deus, qui de ſinu summi Patris omnipotentis miſſus es in mundum peccata relaxare, afflictos redimere, in carcere poſitos ſolvere, diſperſos congregare, peregrinos in ſuam patriam reducere, contritis corde miſereri, dolentes, & lugentes conſolari, dignare Domine

IESV

IESV Chriſte abſolvere ; & liberare me famulum tuum N. de afflictione, & tribulatione, in qua poſitus ſum: & tu Domine, qui genus humanum in quantum Homo, á Deo Patre omnipotente in cuſtodiam recepiſti, & ex pietate tua, crudeli paſſione, nobis paradiſum pretioſo ſanguine tuo mirabiliter mercatus es, & inter Angelos, & homines pacem feciſti. TV Domine IESV Chriſte digneris

inter me & inimicos meos ſtabilire, & confirmare concordiam, & pacem, & gratiam tuam ſuper me oſtendere, & infundere miſericordiam tuam, & omne odium, & iracundiam inimicorum meorum, quam contra me habent, digneris extinguere, & mitigare: ſicut iracundiam, & odium Eſau abſtuliſti, quod habebat adverſus Iacob fratrem ſuum: ita Domine IESV Chriſte ſuper me famulum

mulum tuum N. brachium tuum, & gratiam tuam extendere, & me liberare digneris ab omnibus me odientibus. Et tu Domine IESV Chriſte, ſicut liberaſti Abraham de manibus Chaldæorum, & filium ejus Iſaac de immolatione ſacrificij cum ariete, & Iacob de manu Eſau ftatris ſui, & Ioſeph de manu fratrum ſuorum, Noe per arcam diluvîj, & Lot de civitate Sodomorvm; famulos tuos

Moy-

Moysen, & Aaron, & populum Israelem de manu Pharaonis & de servitute Ægypti: David regem de manu Saulis, & Goliath gigantis Susannam de falso crimine, & testimonio: Iudith de manu Holofernis: Danielem de lacu leonum: tres pueros Sidrach, Misach, & Abdenago de camino ignis ardentis, Ionam de ventre ceti: & filiam Chananeæ, quæ erat tormentata per diabolum: & Adã
de

de profundo puteo inferni, cum pretiosissimo Sanguine tuo: Petrum de mari, & Paulum de vinculis: ita me famulum tuum N. dulcissime Domine IESV Christe Fili Dei vivi liberare digneris ab omnibus inimicis meis, & succurrere in adjutorium meum per sancta beneficia tua, per sanctam Incarnationem tuam, quã accepisti ut homo de Virgine MARIA per sanctam Nativitatem tuam, per fa-

ſamem, per ſitim, per frigus per calores, per labores & afflictiones, per ſputa, per alapas, per flagella, per clavos, per lanceam, per ſpineam coronã, per potationē fellis & aceti, per ſæviſſimam mortem crucis, per ſeptem verba, quæ pendens in cruce dixiſti, ſcilicet Deo Patri omnipotenti: ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Dixiſti Domine latroni in cruce pendenti: Amen dico tibi

hodie

hodie mecum eris in paradiso. Dixisti Domine Patri tuo: Eli, Eli, lammasabathani ? quod est interpretatum :Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Dixisti Domine Matri tuæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde discipulo: Ecce Mater tua: ostendens curam te habere tuorum amicorum. Dixisti Domine, Sitio, scilicet salutem animarum sanctarum, quæ in lymbo fue-

runt,

runt, & noſtram complendo. Dixiſti Domine Patri tuo: in manus tuas commendo Spiritum meum. Dixiſti Domine consummatum eſt : ſignificans labores, & dolores, quos pro nobis miſeris ſuſcepiſti, jam finiri. Propter hos etiam rogo te Redemptor Domine IESV Chriſte, ut famulum tuum N. cuſtodias ab hoſte maligno & ab omni periculo hic in præſenti, & in futuro defende me per de-

ſcen-

ſcenſionem tuam ad inferos, per ſanctam reſurrectionem tuam, & frequentem diſcipulorum tuorum conſolationem, per admirabilem aſcenſionem tuam, per adventum Spiritûs Sancti paracleti, per diem tremendi judicii: per hæc omnia exaudi me Domine, & per cuncta beneficia tua, & etiam pro cunctis beneficiis tuis mihi famulo tuo collatis: quia tu me feciſti ex nihilo, tu pro-

duxisti me, tu ad fidem sanctam tuam perduxisti me: & contra diaboli tentationem me præmunisti, vitam æternam promittendo. Propter ista, & omnia alia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: rogo te dulcissime Domine IESU Christe, ut ab omnibus periculis animæ & corporis pro tua pietate, & misericordia, me famulum tuum N. nunc & semper libe-

liberare digneris. Et post hujus vitæ cursum, ad te Deum vivum & verum me perducere digneris: Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus in tribulatione.

QUi habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu: & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dex-

tris

tris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſsimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: né fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum.

Lon-

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri &c.

ORATIO.

DEVS qui contritorũ non despicis gemitum, & mœrentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas tibi pro tribulatione nostra effundimus, easque clementer exaudi: ut quidquid contra nos diabolicæ, atque humanæ moli-

untur adversitates, ad nihilum redigatur: & consilio tuæ pietatis allidatur quatenus nullis adversitatibus læsi, sed de omni tribulatione, & angustia erepti, in ecclesia tua tibi gratias referamus. Dimitte Domine peccata nostra, & tribue nobis misericordiam tuam quam precamur: ut humilitatem nostram attendas, vincula solvas, delicta deleas, tribulationem aspicias, adversitatem repellas, effe-

ctum-

ctumq; petitionis nostræ largiens supplices tuos clementer exaudias. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti.

SEPTEM PSALMI Pœnitentiales.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu Domine, uſquequo?

Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum

ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem:

tem: quoniam exaudivit Dominus vocẽ fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: covertantur & erubeſcant valdè velociter. Gloria Patri &c.

I I.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputa-

putavit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

Quàm die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua; converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non appropinquabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circũdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quâ gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus

& mulus: quibus non eſt intellectus.

In hamo & freno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate juſti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, &c.

III

DOmine, né in furore tuo arguas me: neq;

in ira

in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmâſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt

ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum: & ge-

mitus meus à te non est abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei & proximi mei: adversùm me appropinquaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et diu inquirebant mala mi-

mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus, non audiebam: & ſicut mutus, non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperavi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, né quando ſupergaudeant mihi ini-

mici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala

pro bonis detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, &c.

IV.

MIſerere mei Deus: ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem miſerationum tua-

rum: dele iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in pec-

peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſopo, & mundabor: lavabis me & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in

me Deus: & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de ſangvinibus Deus Deus ſalutis meæ: & exaltabit lingva mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utiq;: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium, Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Ieruſalem.

Tunc acceptabis ſacri-

ficium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri &c.

V.

DOmine, exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: quacunq; die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fænum & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nocticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus ſum

ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adversùm me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ, & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fænum arui.

Tu

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens miserberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non sprevit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret fi-

lios

lios interremptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Ierusalem.

In conveniendo populos in unum: & reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundâsti: & opera

manu-

manuum tuarum ſunt cœli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filii ſervorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

Gloria Patri, &c.

VI.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis suſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit ani-

ma mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

VII.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua:

tua : exaudi me in tua justitia

Et non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens

Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum anti-

quorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam quia in te ſperavi:

No-

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi. doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in mi-

sericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum. Gloria Patri, &c.

ORATIO

Pro bona morte.

O IESU, rogo te per Mariam; ô Maria, rogo te per IESVM; ô IESV & MARIA, rogo vos per SS Trinitatem, ô SSS. Trinitas rogo te per amorē quo IESUM, quo MARI

RIAm, quo te amas, miserere mei, ut felix moriar ad Majorem tuam gloriam, amorem; ut vos amem in æternum.

O IESV Christe, Deus cordis mei obsecro te per quinque illa vulnera, quæ tibi in Cruce, mei amor inflixit, famulo tuo subveni, quem pretioso sangvine redemisti. Te ego IESV Christe, Deus cordis mei, per acerbissimos tuæ necis cruciatus

tus obſecro obteſtorque, ut intuearis ipſe tuas cicatrices, quas æterno Patri aſſidue pro me oſtentas, easque ſalubres etiam miſero mihi eſſe velis.

Ad Beatiſſimam Virginem

OFfero tibi, MARiA Dei Mater, hunc, & ultimum diem vitæ meæ, cum ſuis horis ſingulis, & momentis; ut me cuſtodias felici æternitati, & ſiſtas SS. Trini

tati

tati & ut hoc impetrem, offero tibi, vitam meam in singulas horas. Offero me quoque ac omnes a-ctus meos pro ijs in pur-gatorio animabus, quas tu elegeris; ut illæ me morientem juvent.

Suspiria pro Bona Morte.

ESto mihi in Deum protectorem, & in Domum refugij, ut sal-vum me facias.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, &

peccatum meum contra me est semper.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Ego autem in te speravi Domine: dixi Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meæ.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

In

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

Hymnus Sanct Ambroſii & Auguſtini.

TE Deun laudàmus: te Doninum confitemur.

Te æternun Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi Cæli & univerſæ poteſtates:

Tibi Cherubim, & Seraphim: inceſſabili voce proclamant,

San-

Sanctus, Sanctus Sanctus:
Dominus Deus Sabbaoth
Pleni ſunt cæli & terra:
maieſtatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus Apoſtolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum:
ſancta confitetur Ecclesia.
Patrem immenſæ majeſtatis.
Venerandum tuum verum

rum: & unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Iudex

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni: quos Pretioso sangine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria munerari.

Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos: & extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies: benedicimus te.

Et laudamus nomen tu-

um

um in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire:

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri,

Fiat miſercordia tua Domine ſuper nos quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi: non confundar in æternum.

(o)

ORA

ORATIO
Ante Actiones

ACtiones noſtras, quæ ſumus Domine aspirando præveni, & adiuvando proſequere; ut cuncta noſtra oratio & operatio, à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Dominum noſtrum IESUM Chriſtum Filium tuum qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

OFFICIUM PARVUM

De Sanctissimo Nomine IESV

AD MATUTINUM

DOmine labia mea aperies: Et os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

Hymnus.

IESV dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed ſuper mel & omnia,
Ejus dulcis præſentia.

ORATIO

DEVS, qui glorioſo ac mirabili Nomine dilectum Filium Tuum IESVM Chriſtum, Redemptorem noſtrum appellare voluiſti; concede propitius ut qui ejuſdē benedicti Salvatoris, nomen, celebriter veneramur in teris ejus felici conſortio perenniter perfruamur in cœlis, Am

AD-

AD PRIMAM.

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

IESV mi bone sentiam,
Amoris tui copiam.
Da mihi per præsentiam.
Tuam videre gloriam.

Oratio *ut suprà.*

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum &c. Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

IESV auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.

Oratio *ut suprà.*

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum &c. Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

IESV Decus Angelicum,
In aure dulce canticum
In ore mel mirificum
In corde nectar cœlicum.

Oratio *ut suprà.*

AD VESPERAS

De

Deus in adiut orium meum &c. Domine ad adiuvan &c
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

IESV flos Matris Virginis,
Amor Nostræ dulcedinis,
Tibi laus honor Numinis,
Regnum beatitudinis.

Oratio *ut suprà.*

AD COMPLETORIUM

Converte nos Deus ſalutaris noſter, Et averte iram tuam à nobis Deus in adiutorium meum &c. Domine ad adiuvandum &c.
Gloria, Patri & Filio, &c.

Hymnus.

IESVS in pace imperat,
Quæ omnem ſenſum ſuperat,
Hanc mea mens deſiderat,
Et eâ frui properat.

ORATIO

DEVS, qui glorioſo ac mirabili Nomine, dilectum Filium tuum IESVM Chriſtum, Redemptorem noſtrum appellare voluiſti; concede propitius ut qui eiuſdem benedicti Salvatoris nomen celebriter veneramur in terris, ejus felici conſortio, perenniter perfruamur in cœlis, Amen

Commendatio ad IESUM

DIgnare benignissime IESV per hoc Sanctissimum Nomen tuum esse mihi IESVS, & dare mihi spiritum illum tuum: quem qui non habent, non sunt tui. Insere quæso cordi meo, hoc amabile Nomen tuum, ut ejus dulcedine pascar, ejusq; amore ita ardeam, ut moriar in te, IESV mi dulcissime, invocato semper hoc jucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero nomine tuo IESV, IESV, IESV.

LETANIÆ

De Nomine IESV.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudinos. Pater de cœlis Deus. Miſerere Nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis. Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere
Ieſu Fili Dei vivi,
Ieſu potentiſſime,

Ieſu

Ieſu fortiſſime.
Ieſu perfectiſſime.
Ieſu glorioſiſſime.
Ieſu mirifice.
Ieſu iucundiſſime.
Ieſu chariſſime.
Ieſu clarior Sole,
Ieſu Pulchrior Lunâ,
Ieſu ſplendidior ſtellis.
Ieſu admirabilis.
Ieſu delectabilis.
Ieſu honorabilis.
Ieſu humillime.
Ieſu pauperrime.
Ieſu mirifice.
Ieſu patientiſſime.

Miſerere nobis.

Ieſu obe-

Ieſu obedientiſſime.
Ieſu caſtiſſime.
Ieſu amator caſtitatis.
Ieſu amator pacis,
Ieſu amator noſter.
Ieſu ſpeculum vitæ.
Ieſu exemplar virtutum.
Ieſu decus morum.
Ieſu zelator animarum.
Ieſu refugium noſtrum.
Ieſu pater pauperum.
Ieſu conſolator afflictoru
Ieſu theſaurus fidelium.
Ieſu gemma pretioſa.
Ieſu armarium perfectioni
Ieſu bone paſtor ovium,

Miſerere nobis,

Iesu ſtella maris,
Iesu lux vera.
Iesu Sapientia æterna.
Iesu bonitas infinita.
Iesu gaudium Angelorum.
Iesu Rex Patriarcharum,
Iesu Inſpirator Prophetarū
Iesu Magiſter Apoſtolorū
Iesu Doctor Evangeliſtarū
Iesu fortitudo Martyrum.
Iesu Lumen Confeſſorum.
Iesu Sponſe Virginum.
Iesu Corona Sanctorum. omnium.
Propitius eſto, Parce nobis Iesu,

Propi

Propitius esto, Exaudi no
Iesu.
Ab omni malo, Libera no
Iesu;
Ab omni peccato, lib:
Ab ira tua, lib:
A subitanea & improvis
morte, Libera: nos Iesu.
A morte perpetua,
Ab insidiis diaboli.
A Peste, fame, & bello,
A transgressione mandato
rum tuorũ, Libera nos Ies
Ab incursu omnium malo
rum, Libera nos Iesu.
Per Incarnationem tuam,
Per-

Per Adventum tuum.
Per Circumcisionem tuam
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per Ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per Dulcissimam Virginem
Matrem. tuam
Per intercessionem omniū
Sanctorum tuorum.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ie.
Agnus Dei qui tollis pec-

ca-

cata mundi: Exaudi nos Ie-
ſu. Agnus Dei qui tollis
peccata mundi, Miſerere
nobis. Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte elei-
ſon, Kyrie eleiſon.

Pater noſter, &c.

Et ne nos inducas in tenta-
tionem, Sed libera nos &c.
Sit nomen Domini bene-
dictum, Ex hoc nunc, &
uſque in ſæculum, Non
nobis Domine, non no-
bis, Sed Nomini tuo da
gloriam. Exurge Domine
ad

adiuva nos, Et libera nos propter nomen tuum.
Domine exaudi orationem meam Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO

DEVS qui gloriosſimū Nomen IESV Christi Filij tui Domini noſtri, feciſti fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremendum atq; terribile, concede propitius, ut qui hoc Nomen IESV devoté vene-

venerantur in terris, ſan-
ctæ conſolationis dulce-
dinem in præſenti perci-
piant, & in futuro gaudium
exultationis & intermina-
bilis beatitudinis obtineant
in cœlis. Per eundem Do-
minum noſtrum IESVM
Chriſtum Filium tuum qui
tecum vivit & regnat
in unitate Spiritûs
Sancti Deus per
omnia ſæcula
ſæculorum
Amen.

OFFICIUM
Immaculatæ
CONCEPTIONIS
B. V. MARIÆ.
AD MATUTINUM.

Eja mea labia nunc annunciate. Laudes & præconia Virgini Beatæ. Domina in adiutorium meum intende: Me de manu hoſtium potenter defende. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen

Hymnus

SAlve mundi Domina,
Cælorum Regina,
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.
Salve plena gratiâ,
Clara lux Divina
Mundi in auxilium,
Domina festina.
Ab æterno Dominus,
Te præordinavit
Matrem Vnigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, Pontum Æthera
Te pulchram ornavit
Sibi Sponsam, ut quæ

In Adam non peccavit.
Elegit eam Deus & præelegit eam: In tabernaculo ſuo habitare fecit eam.
Domina exaudi orationem meam, Et clamor meus ad te veniat.

Oremus

SAncta MARIA Regina Cælorum, Mater Domini noſtri IESV Chriſti, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis & nullum deſpicis, reſpice me Domina clementer oculo tuæ pietatis, & impetra mihi

apud tuum dilectũ Filium cunctorum veniam peccatorum; ut qui nunc tuam ſanctam Conceptionẽ devoto affectu recolo, æternæ in futurum, beatitudinis bravium capiam ipſo quem Virgo peperiſti donante Domino noſtro IESV Chriſto, Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in Trinitate perfecta, Deus in ſæcula ſæculorum Amen.

Domina exaudi orationem meam Et clamor meus ad te veniat.

Bene-

Benedicamus Domino,
Deo gratias

Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

AD PRIMAM

Domina in adiutorium meum intende, Me de manu hostium potenter &c.
Gloria Patri & filio. &c.

Hymnus.

SAlve Virgo Sapiens,
Domus Deo grata,
Columna septemplici,
Mensaque exornata.

Ab omni contagio.
Mundi præservata,
Antè Sancta in utero
Parentis, quám nata.
Tu Mater viventium,
Et porta es Sanctorum,
Nova stella ex Iacob,
Domina Angelorum,
Zabulo terribilis,
Acies castrorum
Portus & refugium
Sis Christianorum
Ipse creavit eam in Spiritu
Sancto,
Et exaltavit illam super
omnia

omnia opera ſua.
Domina exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat
Oremus. Sancta Maria &c.

AD TERTIAM

Domina in adiutorium meum intende
Me de manu hoſtium potenter &c.
Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

SAlve Arca Fæderis.
Thronus Salomonis,
Arcus Pulcher Ætheris,

Rubus visionis
Virgo frondens germinis.
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis,
Favusq; Samsonis.
Decebat tam Nobilem
Natum præcavere,
Te ab originali
Labe Matris Evæ,
Almam quam elegerat,
Genitricem vere,
Nulli prorsus sinens
Culpæ subiacere.
Ego in altissimis habito:
Et thronus, meus in columna nubis,

Do-

Domina exaudi orationem
meam,
Et clamor meus ad te ve-
niat.
Oremus. Sancta Maria &c.

AD SEXTAM

Domina in adiutorium me-
um intende,
Me de manu hoſtium po-
tēter &c. Gloria Patri &
Filio &c.

Hymnus

Salve ô Puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.

Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis
Palma patientiæ,
Cedrus Caſtitatis,
Terra es benedicta,
Et Sacerdotalis,
Sancta atq; immunis
Culpæ Originalis,
Civitas Altiſſimi,
Porta orientalis,
In te eſt omnis gratia,
Virgo ſingularis.
Sicut lilium inter ſpinas,
Sit amica mea inter Fi-
lias Adæ.
Domina exaudi orationẽ
meam, Et

Et clamor meus ad te ve-
niat.

Oremus Sancta Maria &c.

AD NONAM.

Domina in adiutorium me-
um intende

Me de manu hostium po-
tenter, &c.

Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

SAlve Vrbs refugij,
Turrisque munita,
David propugnaculis,
Armisque insignita.
Tu in Conceptione
Charitate ignita,

In-

Infernalis poteſtas
Eſt à te contrita.
Eia mulier fortis,
Et invicta Iudith.
Pulchra Abiſai Virgo,
Verum fovens Dauid.
Rachel procuratorem
Ægypti geſtavit,
Sed Salvatorem mundi
MARIA portavit.
Tota pulchra es amica mea,
Et macula originalis non eſt in te.
Domina exaudi orationem meam,

Et

Et clamor meus ad te
veniat.
Oremus. Sancta Maria &c.
Domina in adiutorium me-
um intende;
Me de manu hostium po-
tenter &c.
Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

SAlve Horologium,
Quo retrò trahatur
Sol in decem lineis.
Verbum incarnatur:
Homo ut ab inferis,
Ad summa tollatur,
Immensus ab Angelis,
pau-

Paulò minoratur.
Solis huius radijs
MARIA coruſcat,
Et conſurgens aurora;
In conceptu micat.
Lilium inter ſpinas,
Quæ ſerpentis terat
Caput pulchra ut luna,
Errantes colluſtrat.
Ego feci in cælis, ut orire-
tur lumen indeficiens,
Et ſicut nebula texi omnē
terram,
Domina exaudi orationem
meam,
Et clamor meus ad te ve-
niat.

Oremus. Sancta Maria, &c.

AD COMPLETORIVM

Convertat nos Domina, tuis precibus placatus IESUS Christus Filius tuus

Et divertat iram suam à nobis.

Domina in adiutorium meum intende

Me de manu hostium potenter &c.

Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

SAlve Virgo Nobilis
Mater illibata,
Regina clementiæ.

Stel-

Stellis coronata.
Supra omnes Angelos,
Pura Immaculata,
Atq; ad Regis dexterã
Stans veſte inaurata.
Per te Mater gratiæ,
Dulcis ſpes reorum.
Refulgens ſtella maris,
Portus naufragorum.
Patens cæli janua;
Salus infirmorum.
Videamus Triadem,
In Aula Sanctorum.
Oleum effuſum MARIA
nomen tuum
Servi tui dilexerunt te
nimis Do-

Domina exaudi orationem
meam,
Et clamor meus ad te ve-
niat
Oremus. Sancta Maria &c.

Commendatio.

Supplices offurimus
Tibi Virgo pia
Has horas canonicas:
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero,
Et in agonia
Præsens nobis assiste,
O dulcis Maria, Amen.
Deo gratias.

Antiph. Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ unquam fuit.

In conceptione tua Virgo immaculata fuiſti.

Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.

Oratio

Deus qui per immaculatã Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculũ præparâſti: quæſumus, ut ſicut exmorte ejuſdem Filij tui præviſa, eam ab omni labe præſervaſti: ita nos quo-

quoque mundos ejus intercessione, ad te pervenire concedas. Per eundem Christum, &c.

Oratio Sodalitatis

Sancta Maria Mater Dei & Virgo, ego N. te hodie in Dominā, Patronam & Advocatam eligo, firmiterque statuo, ac propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquā dicturum aut facturū, neq; permissurū, ut à meis subditis aliquid contra tuū honorē unquā aga-

agatur. Obſecro te igitur, ſuſcipe me in ſervũ perpetuum, adſis mihi in actionibus meis omnibus, nec me deſeras in hora mortis meæ Amen:

LITANIÆ.

De Beatiſſima Virgine Maria,

KYrie eleiſon Chriſte eleiſon Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Pater de Cœlis DEVS, Miſerere nobis

Fili Redemptor mũdi Deus, Miſerere nobis

Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis

San-

Sancta TRINITAS vnus Deus, Miserere nobis.
Sancta MARIA Ora pro:
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginũ, ora.
Mater Christi, ora.
Mater Divinæ gratiæ, ora.
Mater Purissima, ora.
Mater Castissima, ora.
Mater inviolata, ora.
Mater intemerata, ora
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Salvatoris, ora.
Virgo prudentissima, ora.

Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum justitiæ, ora.
Sedes sapientiæ, ora.
Causa nostræ lætitiæ, ora.
Vas spirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas insigne devotionis o.
Rosa mystica, ora.
Turris Davidica, ora.
Turris Eburnea, ora.
Domus Aurea, ora.
Fœderis Arca, ora.
la-

Ianua cœli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorū, o.
Cōsolatrix afflictorū, o.
Auxiliū Christianorū, o.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, o.
Regina Prophetarum, o.
Regina Apostolorum, o.
Regina Martyrum, ora,
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorū ōnium o.
Agnus Dei qui toll is peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos, D. Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miſerere no: Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon Kyrie elei.

Ave Maria &c.

SUb tuum præſidium cōfugimus Sancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta.

Ver.

Ver: Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
Res. Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

ORATIO.

DEfende quæſumus Domine, Beata Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Commendatio ſui ipſius B. Virgini MARIÆ.

O Domina mea, Sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meã, & corpus meum, tibi cõmendo, omnem ſpem meã & conſolationẽ meã, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finẽ vitæ meæ tibi committo: ut per tuam ſanctiſſimam inter-

ceſ-

cesſionē, & per tua merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundùm tuam tuique Filij voluntatem Amen.

Salutatio Beatæ Virginis MARIÆ.

AVe MARIA, Ancilla Sanctæ Trinitatis humillima.

Ave MARIA, Præelecta Dei Patris Sanctiſſima.

Ave MARIA, Sponſa Spiritûs Sancti amabiliſſima.

Ave MARIA, Mater Domini noſtri IESU Chriſti dignisſima.

Ave MARIA, Soror Angelorum pulcherrima.
Ave MARIA, Promissio Prophetarum desideratissima
Ave MARIA, Regina Patriarcharum gloriosissima.
Ave MARIA, Doctrix Apostolorum prudentissima.
Ave MARIA, Confortatrix Martyrum validissima
Ave MARIA, Fons & plenitudo Confessorū suavissima
Ave MARIA, Decus & Corona Virginum iucūdissima.

Ave MARIA, Salus & cō-
ſolatrix vivorum & mortu-
orum promptiſſima. mecū
ſis in omnibus tētationibus,
tribulationibus, neceſſita-
tibus, anguſtiis, & infirmi-
tatibus meis, & maximè in
hora mortis meæ, non de-
ſis mihi, & impetra mihi o-
mnium peccatorum meo-
rum veniam, & cæleſtis Pa-
triæ gloriam, Amen.

Ave Sanctiſſima MARIA,
Mater Dei, Regina cæli,
porta Paradiſi, Domina
mundi, Tu es ſingularis

Vir

Virgo pura. Tu concepisti IESVM sine peccato. Tu peperisti Creatorem & Sālvatorem mundi. Ora pro nobis IESUM dilectum Filium tuum, ut liberet nos ab omnibus malis.

Oratio

O Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos recōmenda, tuo Filio nos repræsenta, Fac ô Benedicta per gratiam, quam meruisti, per Misericordiam quā peperisti; ut qui te mediāte di-

dignatus est fieri particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te qnoque intercedente, participes nos faciat beatitudinis & gloriæ suæ IESUS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Orationes ad B. M. Virginem
Ave Maria.

O Domina mea Sancta Maria, sicut DEVS PATER per Omnipotētiam, te potentissimam effecit, ita mihi quæso adsis in hora mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem. *Ave.*

Ave Maria &c.

O Domina mea Sancta Maria, ſicut FILIUS DEI tantâ te ſuâ cognitione, & claritate dignatus eſt illuſtrare, ut totum Cœlum illumines; ita in hora mortis, animam meam cognitione fidei ſic illuſtres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantiâ pervertatur.

Ave Maria &c.

O Domina mea Sáncta Maria ſicut Spiritus S. ſuum amorem plenè tibi infudit, ita tu in mea morte dulcedinem amoris mihi inſtilla, ex quo omnis amaritudo reddatur mihi ſuaviſſima.